



Per.  
 Lat  
 020

Lateinische Jugendzeitschrift. Latin ifjúsági folyóirat. Revue latine de la jeunesse  
 Laptulajdonos: Katolikus Középiskolai Tanár egyesület. — Sumptibus Societatis Magistrorum Catholicorum Mediarum Scholarum Hungariae. — (Praeses: Dr. Andreas Zibolen elnök.)

Administrator (felelős kiadó — Geschäftsstelle — administration), ad quem pecuniae dirigantur: ALEXANDER REGÉNYI, Budapest, VII., Bacsai-u. 5. (tel.: 142—215).


Moderator (felelős szerkesztő — Schriftleitung — rédaction), ad quem manuscripta mittantur: JOSEPHUS WAGNER DR., Budapest, XI., Lágymányosi-utca 20. (telephon: 268—634).

Megjelenik minden hó 20-án. — Prodit singulis mensibus die 20. Pretium subnotationis an. 1940—41. 3 pengoe, extra Hungariam 4 pengoe. Nummaria chartula (vulgo: chèque) postaisi in Hungaria: 57.292. Subnotatores earum gentium, unde pecuniarum transmissio impeditur, utantur schidulis «Coupon réponse international» appellatis, quarum si quis decem in epistola ad administratorem mittit, pretium annum solvit. Quinis exemplaribus sextum gratuito additur.

### Transsilvaniae pars septentrionalis reddita nobis est.

A. 1920 infelix pax Trianonica Transsilvianiam aliasque partes Hungariae Rumanis dedit. Nunc, cum victoria Germanorum omnes paces, 20 annis ante prope Parisios compositas abolevisset, Hitlerio

Mussolinioque Ducibus sudentibus Rumanis noluerunt nobis quicquam territorii reddere, quare arbitri Ribbentrop et comes Ciano ex 102.000 chilometris quadratis 44.000, ex 5½ millionibus



..... fines septentrionales et orientales Hungariae mutilatae 1920—1938; --- fines meridionales Russiae Subcarpathicae a. 1939 receptae; ——— novi fines Hungariae.

incolarum paene 2½ milliones nobis adiudicaverunt. Quis enarrare possit gaudium immensum, quo milites nostri et *Gubernator Nicolaus Horthy* a civibus iterum liberis ubique accepti floribus quasi inundati sunt, cum regiones nostrae sine pugna, quemadmodum amissae, nunc receptae sunt. Quae cum ita sint speramus fore, ut posthac Rumanis nobis boni vicini fiant. Proximis diebus etiam veteres amici nostri, Bulgari recipiunt a Rumanis Dobrudsam meridionalem.

## LECTORIBUS MINIMIS.

### Jocosa.

1. *A*: Heri, mihi cecidit in caput cucurbita<sup>1</sup> tam graviter, ut diffinderetur.<sup>2</sup> — *B*: Caput aut cucurbita?

2. *Magister*: Dic mihi nomen liquoris, qui nuncquam congelatur.<sup>3</sup> — *Discipulus*: ? ! ? ! ? ! — *Magister*: Considera<sup>4</sup> in animo<sup>4</sup>! — *Discipulus*: Aqua calida!

3. Praefectus urbis sustinet nocte duos comisatores<sup>5</sup> et quaerit ab illis: «Ubi habitatis?» — «Ego? — respondet primus — non habeo domicilium.» — «Et tu?» — «Ego ibidem habito . . . in tabulato<sup>6</sup> superiore!» — respondet alter.

*Ottorinus Riva* disc. Lucanensis.

4. *A*: Dic mihi, cur sint paginae interlitae<sup>7</sup> in libro geographiae? *B*: Ne iterum discam eas.

5. Paulus ad condiscipulum: Inveni duos pengones in prima sella. — Condiscipulus: Scis igitur, quis sim? — Paulus: Nescio. — Cond.: Sum dominus primae sellae. — Paulus: Et scis, ego quis sim? — Cond.: Sum maximus mendax in schola.

6. Duo discipuli loquuntur inter se. *A*: Malevolus erat morbus tuus? — *B*: Valde. Iam ante probationem<sup>8</sup> consanui.<sup>9</sup>

7. Professor interrogat unum ex discipulis, sed discipulus non respondet. «Cur non respondes — dicit professor — quamquam haec interrogatio est facilis.» Discipulus respondet: «Valde. Interrogatio est facilis, sed responsum est difficile.»

*Car. Konner* disc. gymn. Acad. Bp.

8. *Calceus parvus*. Servus in deversorio<sup>11</sup> calceos expositos unguento linit et peniculo<sup>12</sup> exterget.<sup>12</sup> Cum res ad calceos cuiusdam feminae venit, quae minimos pedes habuit, ita servus noster secum indignari<sup>13</sup> auditur: Auferat diabolus<sup>14</sup> tam parvos calceos! Semper iuxta seorsum<sup>15</sup> spuo.<sup>15</sup>

9. *Error. Hospes*: Puer<sup>16</sup>, madet<sup>17</sup> adhuc patina,<sup>18</sup> exstergere<sup>19</sup> oblitus es. *Puer*: Minime, quaeso. Hoc est jus,<sup>20</sup> quod apponi<sup>21</sup> iussisti.<sup>21</sup>

10. *Ineptus*.<sup>22</sup> *A*: Ineptus homo es. Dabo<sup>23</sup> tibi ad mensem mutuum<sup>23</sup> librum, qui te elementa urbanitatis<sup>24</sup> docebit. *B*: Si putes te tamdiu eo carere? . . .<sup>25</sup>

11. *Corpora delicti*.<sup>26</sup> Quando in America potūs<sup>27</sup> inebriantes<sup>27</sup> vetiti erant, si praefectus<sup>28</sup> aedilium<sup>28</sup> interdum interrogavit detectores:<sup>29</sup> «Quid<sup>30</sup> factum<sup>30</sup> est delegatis, quos in tabernam potus inebriantes furtive<sup>31</sup> vendentium misi? Non sunt reversi?» — «Iam quinque horas ibi commorantur — erat solitum responsum — et con-

tinue recentia «corpora delicti» sibi apponi<sup>21</sup> iubent.»<sup>21</sup>

12. *Inter amicas*. Ancilla<sup>33</sup> vestra nunc in nostro<sup>34</sup> ministerio<sup>34</sup> est. Sed noli angi,<sup>35</sup> nec dimidia, quae garrit,<sup>36</sup> ei credimus.

13. *Praemium*. Professor celebratus<sup>37</sup> (ad coquam<sup>38</sup>): Hodie finitus est annus vicesimus quintus servitii tui. Ideo bacillum a me nuper<sup>39</sup> inventum de nomine tuo appellare decrevi.

*Fel. Gondán* dr. O. Cist. Baianus.

<sup>1</sup> tök = Kürbiß = cource <sup>2</sup> széthasad = sich spalten = se fendre <sup>3</sup> megfagy = gefrieren = gèler <sup>4</sup> gondolkozni = nachdenken = réfléchir <sup>5</sup> korhely = Nachtschwärmer = buveur <sup>6</sup> emelet = Stockwerk = étage <sup>7</sup> áthúz = durchstreichen = biffer <sup>8</sup> vizsga = Prüfung = examen <sup>9</sup> meggyógyul = genesen = guérir <sup>10</sup> cipó = Schuh = soulier <sup>11</sup> szálló = Gasthof = auberge <sup>12</sup> kefél = brústen = broser <sup>13</sup> bosszankodni = unwillig sein = s'indigner <sup>14</sup> ördög = Teufel = diable <sup>15</sup> melléje köp = daneben spucken = cracher à côté <sup>16</sup> pincér = Kellner = garçon <sup>17</sup> nedves = naß sein = être mouillé <sup>18</sup> tányér = Teller = assiette <sup>19</sup> letöröl = abtrocknen = essuyer <sup>20</sup> leves = Suppe = potage <sup>21</sup> megrendel = bestellen = commander <sup>22</sup> tapintatlan = taktlos = manquant de tact <sup>23</sup> kölcsön ad = leihen = prêter <sup>24</sup> udvariasság = Höflichkeit = politesse <sup>25</sup> nélkülöz = entbehren = se passer de qqch. <sup>26</sup> bűnjel = Beweisstück = corps du délit <sup>27</sup> részegítő ital = berauschende Getränke = boissons énivrantes <sup>28</sup> rendőrfőnök = Polizeichef = chef de police <sup>29</sup> vulgo: detectivos <sup>30</sup> mi van -val? = was ist mit? = qu'est-ce qu'ils font? <sup>31</sup> titokban = heimlich = en cachette <sup>32</sup> részegen = betrunken = ivre <sup>33</sup> cselédlány = Dienstmagd = bonne <sup>34</sup> nobis servit <sup>35</sup> aggodni = sich ängstigen = s'en faire des soucis <sup>36</sup> pletykázik = schwatzen = bavarder <sup>37</sup> híres = berühmt = célèbre <sup>38</sup> szakácsné = Köchin = cuisinière <sup>39</sup> minap = unlangst = l'autre jour

**De rege Mathia.** Mathias rex vestibus<sup>1</sup> mutatis<sup>1</sup> in casam agricolae ivit. Homo pauper iuveni litterato<sup>2</sup> lentem<sup>3</sup> apposuit, interea de rege narrabat ei. Deinde adulescens domum agricolae reliquit. Aliquando hic homo in arcem Budensem ivit et iuvenem visitare voluit. Hic aspexit regem et cognovit iuvenem, qui quondam in casa sua hospes erat. Etiam rex eum cognovit et pro hospitalitate<sup>4</sup> ei aurum multum donavit.

*Augusta Grigoli* disc. Angelani. Bp.

**De Mathia rege et iudice Claudiopolitano.**<sup>5</sup> Mathias rex magnus erat. Amabat pauperes et plebs quoque amabat eum et «iustum» vocavit. Aliquando rex audivit iudicem Claudiopolitanum pauperes vexare. Vestem<sup>6</sup> pauperis hominis indutus<sup>6</sup> processit in forum urbis. Iudex venit et Mathiam caedere ligna iussit. Labore facto noluit ei mercedem solvere.<sup>7</sup> Mathias in ligno inscripsit: «Cecidit Mathias rex». Postero die Mathias iam ut rex in urbem venit. Cum iudex se pauperes bene tractavisse<sup>8</sup> dixit, Mathias lignum ei demonstravit. Tum iudex genibus<sup>9</sup> nixus<sup>9</sup> veniam petivit. Regem mortuum plebs his vocibus deplorabat: «Mathias rex mortuus est, finis quoque iustitiae!»

*Olga Balás* Angelani. Bp.

<sup>1</sup> álrühában = verkleidet = déguiser <sup>2</sup> müvelt = gebildet = instruct, lettré <sup>3</sup> lencse = Linse = lentille <sup>4</sup> vendégszeretet = Gastlichkeit = hospitalité <sup>5</sup> urbis Kolozsvár <sup>6</sup> vminek öltözötten = gekleidet als = habillé de <sup>7</sup> kifizet = auszahlen = payer <sup>8</sup> bánik vkivel = behandeln = traiter <sup>9</sup> térden állva = knieend = à genou



Pittacia memoriae Mathiae regis 500 annis ante nati dedicata :  
6 × 3 f. : insigne generis Corvini; 10 × 5 f. : arx Hunyad;  
16 × 8 f. : Mathias rex; 20 × 10 f. : Supremus Dux; 32 × 16 f. :  
amator librorum.

## LECTORIBUS MEDIIS

### De poeta Dante.

Ab rerum scriptoribus Dante aliquando missae sacrae adfuisse et genua non flexisse neque cuculum<sup>1</sup> exuisse (caput nudavisse) traditur, dum corpus sacrum Domini elevabatur. Pauci malevoli nuntiaverunt haec episcopo haereseos<sup>2</sup> criminantes Dante, quod non adoravisset sacramentum. Episcopus advocavit poetam et haec ei vitio<sup>3</sup> vertit.<sup>3</sup> Dante respondit: «Verē mens mea tota ad Deum ascendit, quare nescio, qualēs motūs corpus meum habuerit; sed qui haec tibi mē criminandi causā dixerunt, certē non erant religiosi: magis observant mē, quam missam sacram.»

Arā nixus, in cogitationibus defixus<sup>4</sup> stabat Dante in quōdam templō Senae<sup>5</sup> Iuliae<sup>5</sup>. Quidam inopportunos vir stetit iuxtā eum cum eo locuturus et assiduē stultitiās garriēbat. Dante repente interpellavit<sup>6</sup> eum et interrogavit, quid esset animalium maximum. «Elephantus» — respondit ille. Tum poeta: «Mi elephante — inquit — noli mē turbare et negotia<sup>7</sup> tua obi!»<sup>7</sup>

VII. Pius anno p. Chr. n. 1804. ad coronandum Napoleonem Parisios ivit. Iuxtā cancellōs<sup>8</sup> hortōrum «Tuileries» dictorum magna multitudo plebis conveniebat benedictionem papae ibi ambulantis petitura. Quidam adolescens directus stetit et parum<sup>9</sup> reverenter<sup>9</sup> se gessit ad benedictionem papae. VII. Pius sine irā: «Si non cupis, — inquit — mi filii, benedictionem papae, accipe hanc saltem ab seniore, quae semper fortunam fert!»  
*Ios. Kubin disc. Schol. Piarum. Bp.*

<sup>1</sup> csuklya = Kapuze = capuchon <sup>2</sup> eretnekség = Ketzererei = hérésie <sup>3</sup> hibául felró = zum Vorwurf machen = reprocher <sup>4</sup> elmélyvedve = versunken = plongé <sup>5</sup> hodie: Siena <sup>6</sup> félbeszakít = unterbrechen = interrompre <sup>7</sup> dolga után lát = seinem Geschäft nachgehen = passer son chemin <sup>8</sup> rácsozat = Gitter = grillage <sup>9</sup> tiszteletlenül = unehrerbietig = irrévérencieux, peu respectueux

## Quomodo Socrates docuerit?

Dignum est legere et tenere praecepta nonnulla, quae etiam hodie recentissima et ad alliciendos<sup>1</sup> hominum legentium animos apta sunt, quamquam iam plus quam duo milia annorum praeteribant, ex quo haec a Socrate, claro philosopho Graeco, dicta sunt. Veritas enim et sapientia omni aetati similiter dicit. Homo autem nec melior vel prudentior, nec mitior vel excultior nunc esse videtur.

Cuidam, quia notum salutavit, sed is non resalutavit,<sup>2</sup> irā incenso Socrates haec dixit: «Ridiculum est, te si corpus tuo<sup>3</sup> vilius habenti occurrisses, non iraturum fuisse, sed nunc, quoniam animum incultiorem habenti occurreris, hoc te mole stesferre.»

Quendam de defatigatione<sup>4</sup> quentem Socrates interrogavit: «Quantum onus tecum ferebas?» — «Tantum vestem ferebam, nihil aliud» — respondit vir. «Solutus proficiscebaris, aut cum servo?» — «Cum servo — dixit. «Etiam servus nil ferebat?» — «Minime vero, is cum oneribus veniebat.» — Deinde Socrate rogante confitebatur vir servum se multo impigriorem profectum esse. «Pigeat<sup>5</sup> te<sup>5</sup> defatigationis, — inquit Socrates — quid enim factum esset, si tu fuisses servus et onus a te ferendum fuisset?»

Socrates omnibus hominibus suam artem discendam esse et neminem naturā sapientem esse putabat. Olim Euthydemo, qui nihil discendum esse putabat, immo vero speciem<sup>6</sup> discere volentis<sup>6</sup> quoque fugiebat, tamen honores sitiebat,<sup>7</sup> Socrates: «Simile est, — inquit — si quis medicus urbis esse vellet et in contione hac oratione speraret favorem populi sibi conciliare: Nunquam discerem — o cives Athenienses — artem medicinae, magistrum e medicis mihi non eligebam, in vita enim tota cavebam, ne aliquid discerem, immo vero etiam speciem huius fugiebam. Propterea muneris medici me praeficiatis et ego mox vos<sup>8</sup> periclitans<sup>8</sup> studebo discere.»

Alio tempore querebatur ei quidam se non libenter cenare et aviditatem cibi potionisque non habere. «Amicus meus — inquit Socrates — medicinam optimam nescit de eo.» — Quid? — interrogavit ille. «Suo tempore omittendum est edere, — respondit Socrates — sic minore sumptu et salubrius vivis.»

*Josephus Toth dr. Csurgonensis.*

<sup>1</sup> megnyer = anziehen = attacher <sup>2</sup> visznonoz = erwiedern = répondre <sup>3</sup> corpore <sup>4</sup> fáradság = Ermüdung = fatigue <sup>5</sup> szégyenleni = sich schämen = avoir honte <sup>6</sup> azt a látszatot, mintha... akarna = den Schein, als ob er... wollte = le semblant de <sup>7</sup> áhítózni = schmachten = désirer ardemment <sup>8</sup> a ti bórötökön = es soll euch ans Leben gehen = à vos dépens

## Monachus<sup>1</sup> Hricsonensis.

Fabula plebis descripta a *Victore Rákosi*. Latine reddidit: *Jos. Guelmino Bp.*

Matutinum<sup>2</sup> me tonitrus<sup>3</sup> ingens excussit somno. In fluvio Vago eramus, rate<sup>4</sup> vecti. Ratis ad noctem ripae appulsa<sup>5</sup> stabat. Festinanter soleas<sup>6</sup>

<sup>1</sup> barát (szerzetes) = Mönch = moine <sup>2</sup> reggel = morgens = le matin <sup>3</sup> mennydörgés = Donner = tonnerre <sup>4</sup> tutaj = Floß = radeau <sup>5</sup> kikötve = landen = amarré <sup>6</sup> papucs = Pantoffel = pantoufle

paenulamque<sup>7</sup> calidam indutus, excessi ex aedicula<sup>8</sup> in partem posteriorem ratis. (Aedicula in media rate erat trabibus,<sup>9</sup> tabulisque<sup>10</sup> constructa.) Iosephus, cui ratis curae erat, Slovacus, vigilans<sup>11</sup> stetit ibi. Circumspexi. Caelum refertum nimbis aterrimis, luna et sidera nusquam.

— Diu iam tonat, Iosephe!?

— Non. Hic fuit tonitrus primus. Tale quid autem saepe evenit inter montes. Nunc adhuc tempestas serena est et punctis<sup>12</sup> post iam adest procella.<sup>13</sup>

— Sed, nonne, nihil mali accidit?

— Malum semper prodire potest, domine. Homo autem in maximo quoque malo fidere debet Deo.

Et horribile tonuit iterum. Fulmen ab omni parte coeli emicans<sup>14</sup> paulisper illuminavit noctem. Ruinae et silvae apparuerunt et postea iterum omnia tenebris sepulta sunt. Tonitrus autem in valle arta<sup>15</sup> inter rupes ingentes vi horribili sonabat, mugiens<sup>16</sup> et murmurans per momenta temporis, ut repercussus<sup>17</sup> est montibus longinquis. Iosephus prunam<sup>18</sup> cito tabulis obtegit, dicens:

— Statim permagnus aderit imber.

— Et aedicula nostra sustinebit?

— «Imbrem certe, sed ventus procellosus aediculam unā cum rate averrere<sup>19</sup> poterit, domine.» Et statim pede percussit<sup>20</sup> socios duos suos dormientes, qui etiam duos vallos<sup>21</sup> maxima cum celeritate ripae infixerunt<sup>22</sup> eisque firmiores funes circumdederunt<sup>23</sup>, ut ratis tempestatem durare<sup>24</sup> posset. Quibus peractis: «Nunc magis fidere possumus, domine», dixit.

Interea Alexander, socius meus itineris, elabitur<sup>25</sup> ex aedicula et censeamne<sup>26</sup> aliquid bibendum esse, ut facilius duremus tempestatem, interrogat. Bene scivit me nunquam in vita mea rem bonam pervertere<sup>27</sup> solere. Recessimus igitur sub tectum, candelamque<sup>28</sup> accendimus. Opportunissime. Nam imbre<sup>29</sup> coorto<sup>29</sup> etiam impetus venti stridens augebatur, et ratis ad cantum stridoris<sup>30</sup> saltare coeperat. Poculum vini ebibebamus. Imber, velutsi situlā<sup>31</sup> funderetur, ruebat. Et me<sup>32</sup> Slovacorum nostrorum miserere<sup>32</sup> coepit: «Tu! Iosephe! — exclamavi. — Recedite etiam vos, hic, sub tectum!»

— Fieri non potest, — respondet. — Quis tunc cavebit<sup>33</sup> et rati et funibus? Noli nobis timere, sub tabulis sumus.

Responso acquiescens<sup>34</sup> et relapsus in aediculam, cum Alexandro meo bibere<sup>35</sup> pergimus.<sup>35</sup> Foris tempestas foedissima saeviebat: tonitrua sine intermissione, imber furibundus flagellavit<sup>36</sup> fluvium et latus aediculae nostrae. Haec autem tam bene et accurate erat constructa, ut ne unica quidem gutta<sup>37</sup> intra tectum nostrum se inferre posset.

*Continuabitur.*

<sup>7</sup> köpeny = Mantel = manteau <sup>8</sup> fulke = Kabine = cabine <sup>9</sup> gerenda = Balken = poutre <sup>10</sup> deszka = Brett = planche <sup>11</sup> ébren = wachen = éveillé <sup>12</sup> pillanat = Augenblick = moment <sup>13</sup> vihar = Sturmwind = tempête <sup>14</sup> átcikáz = durchzukken = sillonner <sup>15</sup> szük = eng = étroit <sup>16</sup> bömböl = dröhnen = mugir <sup>17</sup> visszaverődni = widerhallen = se répercuter <sup>18</sup> parázs = glühende Kohle = braise <sup>19</sup> elseperni = wegfehen = emporter, balayer <sup>20</sup> megrugdos = stoßen = pousser du pied <sup>21</sup> cövek = Pfahl = pieu <sup>22</sup> bever = hineinschlagen = enfoncer <sup>23</sup> rádobni = werfen über = attacher <sup>24</sup> kibír = aushalten = résister <sup>25</sup> elöbúvik = herauschlüpfen = surgir <sup>26</sup> az én véleményem is az = ich bin der Meinung = il me semble, je suis d'avis <sup>27</sup> elront = verderben = gâcher <sup>28</sup> gyertya = Kerze = bougie <sup>29</sup> szakad (a zápor) = es

fällt ein Platzregen = il pleut à verse <sup>30</sup> süvöltés = Sausen = sifflement <sup>31</sup> dézsa = Wassergefaß = seau <sup>32</sup> sajnál = Mitleid haben = avoir pitié <sup>33</sup> vigyáz vmire = Fürsorge tragen = surveiller <sup>34</sup> megnyugtatta = sich beruhigen = rassurer <sup>35</sup> tovább inni = fortsetzen zu trinken = continuer à boire <sup>36</sup> ostoroz = peitschen, schlagen = fouetter <sup>37</sup> csepp = Tropfen = goutte

## Nuntii recentissimi.

**Victorius Emanuel III.** rex Italiae die 30 mensis Julii annum 40-um gloriosae suae dominationis explevit. Qua occasione Gubernator noster, *Nicolaus e nobilibus Horthy*, ut regem summā observantiā<sup>1</sup> coleret<sup>1</sup> ageretque singulares gratias principi Italiae nobis amicae, supremum gradum Ordinis de Mathia Corvino rege nuncupatae:<sup>2</sup> catenam auream cum insignibus aureis Suae Maiestati donavit. Imago catenae atque diplomatis donatorii Latini hic ante oculos ponitur.

*Alex. Weber* disc. Scholarum Piarum Bp.

**Certaminis latini Budapestinensis** victores ex 33 certatoribus *Tiburtius Szelecsényi* disc. Scholarum Piarum, *Iosephus Kollinszky* disc. Arpadiani, *Georgius Gellért* disc. Berzsenyiani facti sunt. Laudati sunt: *Gisela Kozma* et *Petrus Nemeshegyi* disc. gymn. Helv. confessionis, nec non *Sigismundus e comitibus*<sup>2</sup> *Nyári* disc. Emericani. Certamen ex tribus partibus constitit: locus quidam Ciceronis hungarice reddendus erat, deinde textus Hungaricus in Latinum sermonem convertendus erat, postremo pensum liberum, quod inscribatur «Qualia officia me in vita maneant?» scribendum erat.

**Dr. Joannes Lamer**, clarissimus auctor librorum, qui inscribuntur: «Sprechen Sie lateinisch» atque «Wörterbuch der Antike» et multorum aliorum, ut in ephemeride *Societas Latina* legimus, mortuus est. Virum latinitatis peritissimum etiam nos legemus. Molliter ossa cubent!

**Carolus rex** a Rumanis expulsus primum in Helvetiam, urbem Lucanum (ubi in gymnasio discipuli professoris *Hugonis Villa*, amici diligentissimi «Juventutis» sunt) profectus est, unde postea per Lusitaniam<sup>4</sup> in Canadam migraturus esse dicitur. Filius eius, Michael 18 annos natus est novus rex, cuius mater Helena, quae propter libidinem mariti sui, Caroli regis in exsilio vivere cogebatur, in Rumaniam ad filium suum revocata rediit.

**Bellum aerium** in dies atrocius geritur. Itali Anglis expulsis Somaliam iam totam partemque provinciae Kenyae occupaverunt. Germani moleste ferentes, quod Angli non nisi nocte in Germaniam volantes plerumque aedificia civilia, non militaria pyrobolis<sup>5</sup> diruunt, tantā vi die noctuque pervolitant Britanniam, ut fulgor fumusque incendii Londinii orti etiam in ora maritima Francogalliae spectari possit. Britannorum plurimi, qui divites sunt, iam in Canadam perfugerunt, thesauri<sup>6</sup> picturae ceteraque res artificiosae et pretiosae fere iam omnes in Canadam transportatae sunt.

<sup>1</sup> tiszteletét nyilváníttja = Ehrerbietung erzeigen = donner preuve de déférence <sup>2</sup> gróf = Graf = comte <sup>3</sup> nominatae <sup>4</sup> Portugallia <sup>5</sup> bomba = Bombe = bombe <sup>6</sup> kincs = Schatz = richesses

## Alex. Sajó: In Pannonhalma.

Latine reddidit: L. Markó, O. S. B. Pannonhalma.

*Ut gemma est in sertis aureis,  
Quies saxosa super aequora:  
Procera turre ostentans alta  
Sic stat haec arx, haec prisca, Hungara.*

*Hic est sacer mons: in templo suo  
— Audis-ne O? — millennium iam est;  
Obscuro alto, velum Temporum,  
Manus, quae non videtur, detegit.*

*Ut sidus in silentio noctis,  
Sub leni arcu, spiritus vagat,  
Per radium lucis volat pulvis,  
Quem Stephanus gestabat calceo . . .*

*Hic mons sacer: portus demissorum,  
Magna spe hortans. Hungarum maestum  
Hic «Ora et labora» legitur,  
Fides, mens Hungara firme hic est.*

*In prato lato faeni meta<sup>1</sup> est,<sup>1</sup> —  
Antique Collis, spiritum tuum,  
Hic sentio, bonum morari mi,  
Caput meum sit in sinu tuo.*

<sup>1</sup> szénaboglya = Heuschöber = tas de foin

### Certamen corrigendi.

Mense Martio hanc narratiunculam, in qua multa vitia insunt, corrigendam lectoribus nostris proposuimus:


«Abrahamus Lincoln, princeps popularissimus

Unionis, ex familia simplici ortus est. Magister eius, qui etiam serenitatem corporatam discipulorum exploravit, semel manus suas monstrare iussit. Abrahamus nebulo parvus manum sinistram in sinu braciae adhuc deterisit et lente ostendit. Magister ad aspectum valde trepidatus est, quia manum tale sordidum non vidit. Deinde severe dixit: «Si in hac schola tantum unam manum monstrare potest, quae ista impurior est, ictus decem baculi concedo». Abrahamus non dubitavit, nisi manum dexteram aequo animo pro magistro porrexit. Haec altera squalidior erat. In principio visum est, velut si magister in lapidem mutatus esset, sed deinde cum classe tota in risu prorupit. Itaque heros genticus Unionis a supplicio effugit».

Narratio correctae haec est:

«Abrahamus Lincoln, praeses quondam civitatum in America Septentrionali foederatarum popularissimus, humili loco natus est. Magister eius, utrum pura essent discipulorum corpora, saepe exquirere solebat. Hic aliquando Abrahamum Lincoln manus ostendere iussit. Abrahamus, nebulo parvulus, sinistram in sinum braccarum prius immisam ac detersam lente ostendit. Quā aspectū magister trepidus pedem revocavit, cum manum ita sordidam nunquam vidisset. Paulo post magister severe «Si in hac schola — inquit — unam manum, quae istā sordidior sit, monstrare possis, decem baculi ictus tibi remittam». Abrahamus nihil est cunctatus, sed dextram, quae etiam sinistrā sordidior erat, extendit. Magister primum in lapidem est fere versus, sed deinde una cum tota classe cachinnum sustulit. Sic Abrahamus Lincoln, postea heros gentis suae, tunc poenam effugit».

Victores certaminis, qui optime correxerunt, sunt: Maria Kónya disc. Sabariensis et Ladislaus



*Keleti* disc. Budapestinensis, quibus praemium adiudicatum est. Laudati sunt: *Iosephus Sákovits*, *Margaretha Szabó*, *Ladislaus Hegedűs*, *Eva Anicsek*.  
V. Gombár Bp.

## LECTORIBUS MAIORIBUS.

### Librorum recensio.

**Az Isteni Ige Társasága** (Societas Verbi Divini) *Köszeg*, 1937. — Hoc volumine quomodo Societas Verbi Divini, quae etiam in Hungaria in Budatény et Köszeg sedem domumque constituerat, orta sit quosque usque ad hodiernum diem fecerit progressus, quaeque ceperit incrementa, narratur vitaeque et mores, res gestae labores ac contentiones, dum conderet societatem P. Arnoldi lanseni exponuntur, denique Societatis domus et status in regnis Europae ceterarumque partium orbis describuntur. Eadem Societas a. 1939 foras dedit volumen sub titulo «Die Gesellschaft des Göttlichen Wortes», quo eadem fere continentur ac priore. Ambo volumina imaginibus sunt ornata bellissima.

**Kalmár Simon**, A görög *μύσχος* származtatásának egyes magyar vonatkozásai. (Vocabuli *μύσχος* enodationis quaedam relationes Hungaricae) Budapest 1938. 60 l. Ára 5 pengő. — Simon Kalmár cum 28 vocabulorum Graecorum et Hungaricorum stirpibus collatis inter se affinitatis quodam vinculo esse connexas probaturus esset, etiam vocabulum *μύσχος*, cuius radicem Szemerényi *mogh* fuisse liquido demonstraverat, Hungaricum *mag* et origine et significatione contingere contendit. Equidem scriptorem libelli August. Doctr. Christ. II. 13 (Rönsch Itala und Vulgata p. 27) admonitum velim. Etsi non negaverim quasdam conclusiones probabiles esse, aliae tamen specie fallentes aliquid dubitationis habent, id quod pro angusto recognitionis istius gyro cohibitus argumentis comprobare supersedeo. Verum enim vero in enodatione vocabulorum summa opus est cautione, saepenumero enim fit, ut enodatores correpti aestu concipiendi in lubricum vel declive ferantur.

**Dr. Diósi Géza**. A százötvenéves Etelka (Etelka, narratio fabulosa 150 annis ante scripta). Szeged, 1938. — Géza Diósi ante exposita tempora, quibus exstitisset, quae fuissent, fabulae Romanensis ab Andrea Dugonics concinnatae, quae Etelka inscribitur, ortum, fontes, successus, laudes, quibus extolleretur, dispositionem stilumque operis scriptura impensae curae amplexus fontibusque quos in extrema libelli pagina fere omnes enumeravit, bene sollerterque exhaustis litterarum domesticarum indagatoribus primae fere nostrarum fabularum Romanensium, qua gentiles Hungarorum spiritus diu sopiti veterno suscitati sunt, operam navaturis acceptum commodumque ministravit adiumentum.  
Car. Áts. Bp.

### Vivum Latinum. 1.

*Recitatio Latina radiophonica* Budapestini die Sancti Stephani regis (20-o m. Aug.) ab *Antonio Lepold dr.* canonico Strigioniensi habita hic lectoribus nostris editur:

*De palatio S. Stephani regis Strigoniensis.*

Constans Strigoniensium traditio et inde a saeculo XIII. complura authentica documenta docent, palatium ducale a Geysa duce exstructum eidemque contiguam ecclesiam S. Stephani Protomartyris honoribus dicatam in Summitate montis castrensis Strigoniensis iam stetisse, cum natus esset Geysae filius, primus Hungarorum rex et Regni patronus, qui in ecclesia S. Stephani baptisatus nomen Stephani accepit. Antiquissimum documentum Ladislai regis IV. Cumanus — anno 1272 scriptum — ecclesiam Protomartyris palatio Geysae ducis coaedificatam ecclesiam *processionalem* vocat, quia fideles Hungari sanctum Regem Stephanum veneraturi undecunquē diebus Dominicis turmatim ad ecclesiam procedebant, ubi sanctus rex salutari aqua baptismatis est delibutus et in cujus immediata vicinitate, in palatio ducali est natus. Veneratio loci nativitate et baptismo S. Regis sanctificati tempore Ladislai regis iam vetus erat consuetudo, cuius origo usque ad levationem corporis S. Stephani — ad finem saeculi XI — est reducenda.

Capitulum Cathedralis Ecclesiae Strigoniensis, a S. Rege constitutum et supra montem castrensem vix viginti passus versus meridiem ab ecclesia protomartyris in monasterio S. Adalberti habitans occasione visitationum pontificalium praeteritis saeculis saepius de origine et celebritate ecclesiae Protomartyris interrogatum respondit: «Ecclesia S. Stephani Protomartyris et palatium suprafatae ecclesiae contiguam a Geysa duce est aedificata, S. Rex Stephanus in eodem templo fuit baptizatus, natus autem in cubili primae contignationis palatii ad latus septentrionale ecclesiae constructi, ubi in memoriam nativitatis tanti viri altare consecratum reperitur».

Idem litterae visitationales Capituli Collegiati S. Stephani ad majorem gloriam ecclesiae Protomartyris anno 1391. fundati testificantur. Templum et cubile, baptismo et nativitate Regis Stephani clari, anno 1543, cum castrum Strigoniense prima vice a Turcis expugnaretur, corruerunt globis tormentorum icta. Ruinae tamen usque ad annum 1822 exstabant, cum aream novae Ecclesiae Cathedrali parando ruinae funditus evertbantur, licet veterrima loci gloria optime nota fuisset. Recentissimae investigationes archeologicae aliquot lapides caelatos ecclesiae Protomartyris colligere et vestigia parva palatii ducalis detegere potuerunt.

Rex Stephanus primis annis regiminis palatium patris incoluit. Cum autem archiepiscopatum et Capitulum Strigoniense constituisset et versus meridiem a palatio ducali in medio monte ecclesiam cathedralem S. Adalberti erexisset, vetus castellum una cum ecclesia Protomartyris archiepiscopo et Capitulo cessit, sibi vero in meridionali medietate montis castrensis, super nudum saxum inde ab ecclesia Cathedrali usque ad praeurptum descensum rupis novum aedificavit palatium. Quales fuerint forma et mensurae praecisae domus regalis S. Stephani, quamquam indefessa opera quattuor annorum ad eruendas reliquias domus regalis — saeculo XVII ingenti terrae mole sepultae — instituta sunt, satis demonstrare haud possumus.

Domus enim regalis, quemadmodum nunc e terra effossa conspicitur, pars est amplissimae quondam residentiae, non tota constructio.

Rudera detecta pro maiore et optime conservata parte aetati Arpadianae sunt attribuenda. Minor pars stilum gothicum monstrat. Ex tempore renascentium artium constructiones paucae, magis ornamenta interna et externa — exquisitissimae quidem artis — inveniuntur. Structurae gothicae partim nova sunt addita palatium Arpadianum amplificantia, partim autem nonnisi immutationes posteriores super vel penes fundamenta Arpadiana.

Descriptionem palatii regii e tempore Arpadiano de annis 1249 et 1256 habemus in litteris Belae regis IV., quae lucide comprobant, domum regalem jam saeculo XIII. eandem habuisse longitudinem a meridie ad septentrionem — 170 metrorum —, quam ruinae nunc monstrant. Et licet Belae litterae de mensuris alarum lateralium a tractu longo principali versus orientem vergentium taceant, eas tunc jam exstitisse, rudera Arpadiana, imo cubilia pede plano fornice adhuc tecta testimonium praebent. Plura membra palatii regnante Bela IV. adhuc in statu primae constructionis, id est in forma a sancto rege data reperiebantur, quia Bela ea antiquissima, vetustate obsoleta et magno sumptu reparanda nominat.

*Finis sequetur.*

## 2. Nuntii e gymnasio puellarum Telekiano Mezőturiensi.

Eventus iucundus et tumultuosus erat in vita collegii nostri, cum ante diem V. Nonas Maias societates «Iuventus» nominata actionem Latinam habuit. Haec societas vix horum mensium aliquot in schola nostra opus agit, magnā gratiā populari floret, amator et libenter frequentatur a nobis.

In aliquo conventu societatis «Iuventus» venit nobis in mentem actionem linguā Latinā instituere. Ex numeris variis «Iuventutis» elegimus fabulam ad scenam aptatam, cui inscribitur «In schola». et carmina varia popularia Hungarica et nonnulla poemata Latine reddita, quae declamaturae eramus. Post quindecim dies iam stetit scena a nobis ipsis adornata, et commotionibus cum magnis actionem postmeridianam expectabamus, quippe quae in schola nostra prima futura esset.

Intererant *Irma Pápay dr.* directrix scholae nostrae et *Alexander Kun dr.* praefectus studiorum, collegium professorum et frequentes discipulae.

*Ediitha Borsay* discipula classis VII. auditores oratione ornatā Latinā Cicerone dignā salutavit. Inter plausum fremebundum, iam aulaeum quoque tollitur, et necopinata res recentior praesentibus instat. Apparet schola Latina. Pueri tunicis induti et puella respondent magistro interroganti *Hedvigae Merényi*. Ex ordinibus spectatorum risus clarus et nonnulla dicta fortuita ostenderunt rem omnibus placere. Nunc carmen poetae Andreae Ady sequitur. Latine Eva Nemerey (cl. VII.) Hungarice Sara Öllös (cl. VI.) dixerunt, quae in ordinibus spectatorum admirationem moverunt. Aulaeum rursus tollitur et dialogo, cui inscribitur: «Formica et cicada», *Friderica Merényi* (cl. IV.) et *Helena Kakasy* (cl. IV.) actrices serenitatem universam moverunt. Sed tempus praeterit, et actio nostra ad partem extremam

appropinquavit. Postremo carmina popularia Hungarica in Latinum conversa cantaverunt sociae societatis «Iuventus». Mox *Brigitta Légrády* (cl. VI.), praeco programmatis spectatoribus salutem dixit. Gratias agimus magistrae *Gisellae Lakatos*



Discipulae gymnasii Mezőturiensis et professor *Gisela Lakatos dr.* «Iuventutem» legunt.

doctrici, quae huic actioni instituendae studio mirabili tantam operam dedit.

Magnam spem habeo fore, ut mox occasione datā alium eventum carum nuntiari possim.

Ad id temporis... Valet!

*Sara Öllös* disc. cl. VI.



1. Ora, rus, ast. — 2. Faba, ater, bene, area. — 3. Urus, rare, urbs, sese. — 4. Est difficillimum se ipsum vincere. — 5. Omnia mea r. p. Volenti non f. i. In hoc s. v. Dulce et decorum est p. p. m. Inter arma s. M. Ubi bene, i. p. Salus publica s. l. e. = *Ovidius*. — 6. S, us, sus, us, lus. — 7.  $\frac{99}{9} + 9$ . — 8. Chorus, domina, oratio, atrium, charta, hymnus: *Horthy*.

**Aenigmata recte dissolverunt:** In Hungaria: V. Árvay, M. Bartha, E. Böhm, P. Cholnoky, H. Eckhardt, B. Elekes, L. Faust, I. Fáy, C. Göbler, V. Hoffmann, N. Horváth, S. Kálmán, G. Kerényi, M. Kertész, E. Kis, H. Korompay, M. Kossatzky, E. Madocsay, G. Margittay, J. Németh, M. Pieke, Ae. Pokorny, S. Polacsek, J. Pukánszky, F. Rosslaw, I. Ruitz, G. Schlosser, E. Somogyi, Au. Turner, E. Ungváry, I. Vaszkó, C. Wittinghof (*Szilgyi; num\**), Fryatres Mayer, E. Székely (*gymn. Archiep.*), H. Gátszegi, I. Mosonyi (*Giselanum\**), E. Szabó (*Sch. Piae*), E. Bamberger, A. Benesóczky, P. Bornstein, R. Csató, A. Dervarics, Fr. Frankl, J. Gárdosi, G. Germanus, G. Gonda, A. Gyürky, A. Heumann, J. Kaczur, Fr. Kállai, L. Kovács, J. Kovacsik, T. Lugosy, T. Rehberger, G. Schwarcz, G. Somogyi, G. Steiner, Ac Szabados, Th. Szecskó, I. Tilinger, L. Vágó, J. Vidá, A. Weisz, G. Wertheimer, R. Wimmer (*Bolyayanum*), A. Samarjay (*Theresianum\**), E. Rosner (*gymn. IPEA*), H. Noé (*Vörösmartyanum*), St. Gát-

szegi (*Emericanum*) *Budapestinenses*. J. Kráhl *Baianus*, E. Réti, St. Vida *Dombovárienses*, A. Józsa *Gyöngyösiensis*, J. Balázs, St. Börcsök, St. et R. Horváth, C. Imgrund, A. Kamarás, C. Lindmayer, St. Zsembery *Kiskúnhalasienses* T. Farkas, St. Ipkovich *Ginsienses*, M. Bella *Scarabantina*.\* M. Kónya *Sabariensis*.\* I. Szó. — In Italia: G. Bellissima. — *Stellula scholas puellarum indicat.*

**Praemium sorte Mariae Pieke, Helenae Gátszegi, Eduardo Szabó, Georgio Germanus, Annae Samarjay, Henrico Noé, Stephano Vida, Antonio Józsa, Carolo Lindmayer, Tiburtio Farkas, Margarethae Bella, Mariae Kónya obvenit.**

1—2. *Quadrata magica.*

1.	2.	3.				
1.	2.	3.	B	B	B	C C D
2.			I	I	U	O O R
3.			U	S	S	R U U

- 1. est praepositio Imperativus nobilis.
- 2. est adverbium interrogativum. Pro «cremo» istudinvenis.
- 3. est adverbium numerale. Est pars humani corporis.

*Susanna Lichter* disc. Giselani Bp.

*Otto Waldner* disc. Gyöngyösiensis.

3—4. *Quadrata magica.*

1.	2.	3.	4.			
1.	2.	3.	4.	E	E	E E A A A A
2.				G	G	O O C C E E
3.				O	R	R R I I N R
4.				S	S	T T R S S T

- 1. = regna! Est instrumentum necatoris.
- 2. Deus amoris est. Haec est voluptas viatoris.
- 3. Summus dux belli Britanniae. Paratur a matricula.
- 4. Imperativus verbi esse. Quid vides in ecclesia? (acc. plur.)

*Ottorinus Riva* disc. gymn. Lucanensis.

*Geysa Tokaji* disc. Makonensis.

5. *Pyramis.*

- 1. Vocalis stat in culmine.
- 2. 1 Non sto, si illud facio.
- 3. 2 1 Cui cuncta bona debeo.
- 4. 3 2 1 Est idem ac «tantopere.»

*Stephanus Hatvani* disc. Gyöngyösiensis.

6. *Ad saltum equulei.*

pe	si	ri	mum
pe	xi	Im	re
bi	ra	im	um
	est.	ma	

*Alfridus Zeier* disc. Lucanensis.

7. *Angulus magicus.*

	1.	2.	3.	4.	
1.					D I I I I
2.					L L O S
3.					S S S
4.					U U
					V

- 1. Si merx est talis, respuo.
- 2. Est mensis dies medius.
- 3. Pro «solvo» necnon dicimus.
- 4. Pronominum in numero.

*Ladislaus Tamás* disc. Vesprimiensis.

8. *Logogriphus.*

Propter atrocita facta timendus rex erat olim :  
carnibus humanis pascere suerat equo.  
Nomen idem tenuit Calydonius inclitus heros,  
qui permulta tulit funera Troiugenis.

*Fr. Palata* Trebicensis (Moravia).

9. *Rebus.*

Glaudius hasta sagitta	Clio Melpomene Terpsichore Euterpe Thalia Polyhymnia Erato Urania Calliope non canunt	scutum lorica galea
------------------------	---	---------------------

*Henricus Schäfer* disc. Bonyhadiensis.

*Nota.* Lectoribus minimus : 1—4, mediis 5—6, maioribus 7—9. — Quisquis aenigmatum tot solvat, quantum potest. Etiam unum solum aenigma solventibus praemium petere licet. Discipuli eiusdem scholae solutiones a professore suo collectas in communi involucre «epistulae ad moderatorem *J. Wagner*, (Budapest, XI., *Lágymányosítva* 30) mittant.

**Terminus solutionum : Calendae Novembres.**



*C. Flesch, R. Nowowiejski, C. Ács, I. Tóth, A. Weber.* Carmina, recensiones etc. scripta Vestra, mihi semper carissima, prout et inopia loci concedit et varietas postulat, ordine prodibunt. Valet! — *G. Lakatos, S. Ólls.* Nolite aegre ferre, quod vi maiore coactus relationem ludi scenici Latini non mense Julio edideram, sicut promiseram. — *S. Stephenson.* Pittaciis Americanis nuper missis gratiam apud me inisti maximam. — *A. Kovács.* Ex carminibus popularibus tuis edentur ea, in quibus numerus syllabarum non neglectus efficit, ut cantari possint. Ceterum omite Pegasus, descende in terram. Si materiam sive iocosam, seu seriam latine tradendam vis, libenter tibi mittam. — Moderator omnibus, a quibus gratulationes accepit, gratias agit quam maximas.